Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26228
Copyright: Admont, Benediktinerstift

96

uiro suo. quia propheta est. Si nolueris reddere morte morieris tu et omnia
que tua sunt. Statimque de nocte surgens abimelech. uocatis seruis.
narrauit eis omnia uerba hec. Tulitque oues. boues. et ancillas.
et seruos. deditque abrahe. reddiditque illi uxorem suam. Orante autem
abraham. sanauit deus abimelech. et uxorem ancillasque eius et pepererunt.
Concluserat enim deus omnem uuluam domus abimelech propter sarai uxorem abrahe.

Q. II.

Quod autem ea cum qua prius
fornicata fuerat post separationem nubere possit supra in i. q.
xxxi. cause probatum est. Mortuus est enim suus uir. et que iudicio
ecclesie ab eo separata. a lege uiri soluta est. Unde iuxta apostolum
nubat cui uult tantum in domino. C. Si quis dixerit et cetera usque iam faciat
adulterium. Sed hoc neque preceptum neque consilium est. quia non licet aliquid
illorum. sed in separatione duorum alterum minus malum est. C. Si quis
cum duabus fuerit sororibus. Hoc capitulum uidetur contrarium cuidam capitulo quod
est in iiii. q. xxvii. cause. quod sic incipit. Qui dormierit. et duobus
aliis que sunt in vii. q. xxxii. cause. que sic incipiunt Qui
dormierit. Concubuisti. Sol. Hic de his quorum nimius feruet
sanguis. et etas. scilicet qui sine magna difficultate abstinere non ualent.
ibi uero de aliis. uel hoc ex indulgentia. illa secundum rigorem cano
num locuntur.

Q. III.

Ventum est ad iii. questionem. qua queritur. utrum sola cordis contriti
one. et secreta satisfactione. absque oris confessione quisque possit
satisfacere deo. Sunt enim qui dicunt quemlibet criminis ueniam sine confessio
ne ecclesie. et sacerdotali iuditio. posse mereri. iuxta illud
ambrosii: Petrus doluit et fleuit quia errauit ut homo. Non inuenio
quid dixerit. scio quod fleuerit. Lacrimas eius lego. satisfactionem non l.